DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE COLOSTRO QUAM AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI...

Justus-Jacobus Goeckel

Digitized by Google

PRAEFATIO.

SI quando infans excluditur : omnibus fere partibus in primis ſolidis, quae hominem conſtituunt, iam praeditus eſt, exceptis dentibus; qui nondum prominent, ſed in praeſepiolis ſuis adhuc abſconditi latent. Igitur talis infans ineptus eſt ad cibum ſolidum capiendum, quia dentibus eum contererere nequit. Sed iam natura quaſi proſpexit, et matri interim conceſſit lac, humorem nutricium, quo

Digitized by Google

recens infans editus nutriri poſſit, ita, ut ſolidis cibis haud indigeat, et ſub potulenta forma tamen id accipiat, quo incrementum quoque capere ualeat. Hoc autem lac ab initio non ſtatim debitam habet conſiſtentiam, ſed praecedit ei humor ſeroſus ſublacteus, quem ſcholae Medicorum Coloſtrum *appellare ſolent. Quoniam igitur mihi nunc a Gratioſo Medicorum Ordine, tertium et quidem publicum ſpecimen, Diſſertationem nimirum inauguralem edere, conceſſum eſt: de hoc humore corporis animalis, et potiſſimum humani, quaedam explicatius in ſcenam proferre, mecum conſtitui. Vt autem Lector beneuolus has meas primitias benigne aſſumere, et diiudicare uelit, eſt, quod maxime in uotis habeo.*

De

DE

COLOSTRO

§. I.

EGregium inter alia ſapientiſſimi Conditoris teſtimonium prouidentiae eſt, quod machinam corporis noſtri, et in primis ſexus ſequioris, ita conſtruxerit, ut intra iſtud tempus, quo fetus in utero materno naſci ſoleat, etiam pabulum ei in ipſo matris corpore praeparetur, quo deinde excluſus, et a matre ſeparatus, nutriri et augmentum capere poſſit. Tempore enim grauiditatis nouus quaſi humor alimentarius in mammis matris praeparatur, qui nobis omnibus ſub titulo lactis ſatis eſt cognitus. Hic humor infanti ab initio natiuitatis per longum tempus cibi et potus loco eſſe ſolet, ſuaeque tenellae conſtitutioni admodum accomodatus deprehenditur.

§. II.

Sed quam mirabilis hic in oeconomia animali mutatio obſeruatur! Purpureus humor ſanguis, pro-

 ducit

Digitized by Google

ducit nobis candidum humorem lac. Mirum itaque non eſt, ſi Phyſiologi etiam eruditiſſimi uix inter ſe conuenire potuerint, ſi quando huius tam admirandi phaenomeni rationem dare debuerint. Tales enim humorum ſecretiones magis coniectura, et experimentis analogis, quam ſenſus ſcrutinio inueſtigandae ſunt. Sed quam dubiae ſunt nonnunquam coniecturae, quam fallax, ut cum HIPPOCRATE loquar, eſt experimentum? Deriuarunt autem potiſſimum huius nobiliſſimi ſucci originem, uel a *ſanguine*, uel a *chylo*. Licet nunc mihi quidem animus haud ſit, de ipſo lacte agere, ſed potius de *Coloſtro*: attamen neceſſe erit, de controuerſa lactis origine quaedam adhuc praemittere, quia *Coloſtrum* nihil niſi lac primum effluens eſt.

§. III.

Antiquiſſima opinio fuit *Lac* ortum ducere a *ſanguine menſtruo*. Obſeruarunt enim feminam grauidam hunc fluxum amittere ſolere, et deinde demum lac in mammis fieri; immo, non illis defecerunt exempla, quibus, ex ſuppreſſione menſium etiam in non maritatis feminis idem eueniſſe, probare poſſent. Quamuis ad aliud ueterum dogma, quando ſanguinem menſtruum pro ueneno declararunt, ſi haec hypotheſis applicatur, admodum paradoxum uideatur, quod nimirum ex ueneno, infantis alimentum gigni debeat. Interim iſtud tamen ſtrenue defenderunt tam Philoſophi quidam ueteres, quam Medici. Id quod teſtimonia ARISTOTELIS, *a*) GALENI *b*), atque AVI-

a) Lib. de Generat. animal. Cap: VIII.
b) Lib. XIV. De Vſu part. Cap. VIII.

Digitized by Google

AVICENNAE *c*), ſatis ſuperque teſtantur. Vt nihil dicamus, de quibusdam recentiorum temporum Medicis, qui uenerandam antiquitatem, forte ex nimia ueneratione erga GALENVM, in hac hypotheſi diligenter ſecuti ſunt.

§. IV.

Alii uero recentiorum etiam lactis prouentum a *ſanguine* deriuarunt; non autem a ſolo menſtruo, ſed potius a *quantitate ſanguinis nimia* in uniuerſum. Quando enim ille fluxus periodicus fluere in grauida deſinit, neceſſe ſequitur, ut maior ſanguinis copia colligatur, quae deinde ad lactis productionem impenditur. Ita enim Celeberr. CHRIST. IO. LANGIVS *d*); *Materia lactis*, inquit, *eſt ſanguis alimentarius*, *quem adferunt arteriae mammariae*, *ex trunco aortae oriundae*, *quae hac de cauſſa lactationis tempore adeo turgent*, *ut digiti minimi extremitatem facile admittant*, *ſtylum exiguum extra illud tempus uix capientes.* Cui etiam accedit doctiſſimus IO. FRIDER. CRELLIVS. *e*) Euidentiſſima enim illis uidetur haec ſententia, quia lac omne ex uaſis ſanguiferis, arteriis nempe mammariis, in mammis ſecernitur. Id quod hodie ſaltem a pauciſſimis negatur. Aduerſariorum enim rationes magnus ille Anatomicus ADAM. KVLMVS *f*) admodum deſtruxit, et productionem lactis ex ſanguine ſtrenue defendit.

§. V.

c) Lib. II Tract I. Fen. XII Cap. III.
d) Oper. omn. Part. I pag. 256.
e) Diſſert. de Mammarum fabric. et ſecret. lact. Lipſ. 1734.
f) Anatom. annot. ad Tab. XIII.

Digitized by Google

§. V.

Rurſus alii potius putarunt ex analogia concludendum eſſe, et *Chylum* proximam eſſe lactis materiam: Sed huius ſententiae Patroni iterum inter ſe differunt. Aliqui enim putant, chylum per peculiaria uaſa ſtatim intrare mammas, dicuntque, naturam alias ineptum ſuſcipere laborem, ſi humorem nutricium album, commiſcere uellet cum rubro ſanguine, et ex eo deinde demum eundem ſeparare, atque educere. Sed quoniam talis galaxia oſtendi nondum poterat, ſtatim aſſurrexerunt quidam, qui talem uiam aperuerunt, et uaſa talia lactea, Chylum ad mammas immediate ducentia, inueniſſe firmiter ſibi perſuaſerunt, uti inter alios inprimis ſunt: BAVHINVS, CHARLETONVS, DEVSINGIVS, EBERHARDVS, LINDANVS, immo incomparabilis ille Anatomicus VESLINGIVS, aliique. De his ductibus lactiferis, qui non confundendi ſunt, cum uulgo dictis uaſis lacteis, in primis legi meretur IOSEPH. LANZONVS *g*) Verum enim uero, eiusmodi uaſa peculiaria, chylum ad mammas immediate ducentia, nondum euidenter demonſtrata eſſe, plurimi obiiciunt. Ex illis autem uel unicum tantum adducam HERM. FRIDER. TEICHMEYERVM *h*): qui hanc litem eruditam ita finit. *Sed uaſa haec*, inquit, *merito inter non entia numerantur anatomica.*

§. VI.

Hanc uero ſententiam de *chylo*, quod ſit *lactis materia*, alii magis ſobrie exponunt *i*), dicentes: chy-

g) Oper omn. Vol. III. animaduers. XXXI.

h) Element. Anthropol. Cap. XXXI.

i) Vid. MAVR. HOFFMANNI Diſſert: De lactis ex chylo ſtatu nat. et praeternat. Altorf 1633.

Digitized by Google

chylum non immediate adduci ad mammas, ſed omnem chylum in uena ſubclauia ſiniſtra, per ductum thoracicum aduectum, commiſceri ſtatim ibidem cum ſanguine huius uenae, per quam deinde ad cor, et ad ceteras corporis partes ope circulationis ſanguinis, denique etiam uſque ad arterias mammarias peruenit, ubi deinde chylus a ſanguine nondum plane ſubactus eo facilius ſecerni poſſit. Et iſtud cum plurimis hodiernis Medicis, praecipue GEORG. ERNEST. STAHLIVS, atque FRIDER. HOFFMANNVS, magna artis noſtrae lumina, contendunt. Vtpote qui poſterior expreſſis, ut aiunt, uerbis: k) *Lac*, inquit, *eſt chylus, non uero ſanguis immutatus.* Cum quo conuenit diſertiſſimus IO. GOTH. DE BERGER l): *Satis iam aperte conſtat*, inquit, *lac lympham eſſe pinguiorem, ipſumque chylum non quidem immediate ex canale alimentorum, aut receptaculo lumbari, uel ductu thoracico, per occultas quasdam uenas lacteas, quae aliquorum falſa eſt opinio, qui uaſa forte lymphatica partium thoracis pro lacteis habuerunt, ſed cum ſanguine per communes arteriarum uias.* Quam opinionem etiam dudum habuiſſe parentem omnis Medicinae HIPPOCRATEM m), coniicere poſſumus ex his uerbis, quando dicit: *Dulciſſimus humor ex cibis et potibus ad mammas uertitur ac exſugitur.*

§. VII.

Sed has controuerſas ſententias poſteriores conciliari inter ſe poſſe, nulli dubitamus, ſi modo in

B auxi-

k) Mediçin. rational. ſyſtemat. Lib. I Sect. II Cap. XXV.
l) Phyſiol. medic. Cap. VIII. p. m. 149.
m) de Morb. Mulier. Libr. I.

Digitized by Google

auxilium uocamus diſtinctionem quandam, nempe, ſi diſtinguimus inter cauſſam materialem *mediatam*, et *immediatam*. Nam lac in mammis immediate ſecernitur a ſanguine arterioſo, qui magnam chyli nondum ſubacti partem in ſe continet. Quo magis autem ſanguis materia chyloſa repletus eſt, eo maior copia lactis praeparatur, ſi organa rite ſunt diſpoſita. Id quod alia diſtinctione forte etiam uir immortalis nominis, GEORG. WOLFG. WEDELIVS *n*); iam indicare uoluit: ſi *non fit lac*, inquit, μεταμορφώσει, *ſeu immutatione, ut ex rubro ſanguis transformetur in album. Rubedo ſulphuris iam magis exaltatum notat et unitum, quam in albo fuerat. Inſtar omnium ſint uiae diuerſae, et ſecludentes ſanguinem. Glandulae obicem ponunt et diuerticulum perpetuum ſanguini, ut dimittat, quod ſecum habet, ipſe uero non admittatur, unde uaſa diuerſa, diuerſum et alium teſtantur humorem: ſed fit lac* διακρίσει, *ſeparatione hac ipſa, ut ſanguis, qui in mammas fertur ibidemque exiſtit, bonam partem dimittat, quod diximus, ipſe uero per uenas reducatur ad locum debitum.*

§. VIII.

Sed tantum abeſt, ut ideo exinde ſtatuamus *lac* et *chylum* plane unum eundemque eſſe humorem. Nam commixtio chyli cum ſanguine, et circulatio per tot corporis uiſcera cum eo, et peculiaria organa, glandulae, tubuli, et directiones uaſorum in mammis, et quae ſunt alia, ſtatim a priori nobis iam perſuadent, haud exiguam eſſe differentiam inter *lac* et *chylum*; ut de aliis experimentis et argumentis a poſterio-

n) Phyſiol, reformat. p. 615.

ſteriori deſumtis, ne nimium excurramus, nunc plane ſileam. Ita ueteres iam Ariſtotelici inculcarunt, diſtinguendam eſſe inter materiam, et formam. Licet itaque chylus dare ſoleat lacti *materiam*, tamen non *formam*, ſiue externam, ſiue internam, eum largiri debere neceſſe eſt. Quis enim eſt qui neget, pinguedinis materiam praecipuam eſſe chylum, et tamen, quam magna iterum eſt differentia inter chylum et pinguedinem, quod uel ſtatim externa forma indicat. Sic itaque chylus in ſanguine arterioſo contentus in ipſis mammis demum in lac uerum et genuinum mutatur.

§. IX.

Non autem, uti in prouerbio dicitur, *natura facile agit per ſaltum*, ſed ſucceſſiue noua genera rerum ſe euoluunt. Et ita res comparata eſt cum elaboratione lactis. Antequam enim tam ingens mutatio ab ea ſuſcipitur, et humor purpureus in candidum inuertitur, alius quaſi intermedius producitur humor, *Coloſtrum* dictus, qui nihil aliud eſt, *quam lac primum*, ſeu *lac adhuc ſeroſum*, *imperfectum*, *minusque pingue*, *magis ſalſum*, *coloris flaueſcentis* o), *quod primis diebus poſt partum ab infante nato ex mammis matris exſugitur*, *uel interdum ſponte effluit*. Ab aliis quoque *colliquamentum ſeroſum* uocatur. A ueteribus Latinis etiam *Coloſtra* nominatur, a coaleſcendo, quaſi *coaloſtrum*; uel a *κόλον*, quod ſit primus animantium cibus *p*) a Graecis uero τεοΦαλὲς; a Germanis multis locis Gieß, uel die erſte Mutter Milch.

§. X.

o) Vid. Laur. Theoph. Lutheri Diſſ. de Lact. humani ſtat. nat. et praeternat. Erf 1735 edit. § IV.

p) Vid. BAS. FABRI Theſaur. erudit. ſchol. a I. M. GESNERO edit. Lipſ. 1735.

§. X.

Quando Chylus per arterias mammarias ad glandulas mammarias conglomeratas aduehitur, et in illis ſecernitur, nouus productus humor lac intrat proxime adiacentes tubulos, ab officio lactiferos dictos; hi tubuli lactiferi efformant deinde papillam mammariam, et ita conſtructi ſunt, ut quo magis ad exitum abeunt, eo arctiores fieri ſoleant. Quoniam autem lac nimis craſſum eſt, quam ut ſtatim per hos tubulos coarctatos exire poſſit, ab initio ſaltem tenuior, ſeroſior, magisque ſalinus, quam oleoſus humor, uno uerbo *Coloſtrum* exſugitur; ſaepius autem reiterata ſuctione, tubuli ſucceſſiue ampliantur et dilatantur, ſic deinde lac genuinum altero, utplurimum, poſt partum die, ſub motibus febrilibus, **einem Milchfieber**, excerni ſolet.

§. XI.

Animaduertitur uero aliqualis differentia inter auctores, ſi de qualitate huius *Coloſtri* ſermo eſt. Potiſſimum in duas plane contrarias abeunt ſententias. Aliqui enim iſtud tanquam humorem *denſum*, ſeu *ſpiſſum*, alii uero, et quidem rectius, tanquam *tenuem*, et *ſeroſum* deſcribunt. Prioris opinionis multi ueterum fuerunt, ita enim ipſe PLINIVS: *q*) *Eſt autem Coloſtra*, inquit, *prima partu ſpongioſa denſitas lactis*. Sed paucos forte aſſeclas haec habet ſententia. Plurimi potius *Coloſtrum*, ſeu lac uno alteroue die poſt partum proueniens, pro *tenui* et *ſeroſo* humore habent, uti BOHNIVS, TEICHMEYERVS, BEHRIVS, atque

q) Hiſtor. mund. Lib. XXVIII. Cap. 9.

atque ORTLOBIVS. Ambo autem conciliare uidetur Celeberr. IO. IVNCKERVS *r*): *Notanda eſt etiam illa differentia*, inquit, *quam nobis ſuppeditat lac puerperarum, uno alteroue die poſt partum proueniens, ubi, quia ſecretionis organa ad lac perfectae conſiſtentiae ſecernendum minus diſpoſita atque diſtenta ſunt*, Coloſtrum, *ſeu ſeroſa tantum proluuies tenuior prodit, quae mora nimium ſpiſſeſcere poteſt, nec omni alterabili ſubſtantia lactea deſtituta eſt.*

§. XII.

Nec *Coloſtrum* confundendum eſſe cum illo lacte, quod interdum in mammis feminarum adhuc grauidarum, uel etiam uirginum *ſ*), immo et ipſe uirorum inuenitur, *t*) multi cum demum nominato IO. IVNCKERO l. c. uolunt. Sed omnis controuerſia eo redit: num uerum lac etiam in illis ſubiectis inueniatur? ſi uerum lac adeſt, etiam praecedit *Coloſtrum.* Immo in his lactis ſpeciebus etiam primum quod effluit, *Coloſtrum* dici poteſt ſenſu latiori, licet ſenſu ſtrictiori et uſitatotiori ſaltem lac primum puerperarum per *Coloſtrum* intelligamus. Sed tales lactis ſpecies omnino differre a lacte uero et genuino nutricum, iam dudum affirmarunt permulti. Duo ſaltem teſtimonii loco adducam IO. SPERLINGIVM *u*): utpote qui, *in uirorum*, inquit, *mamillis, ſi quid inuentum, non tam res, quam ſimilitudo fuit.*

 Al-

r) Conſpect. Phyſiol. medic. Tab. XVIII. pag. 281.

ſ) GEORG. FRANCVS DE FRANCKENAV Satyr. XV de Triplici lact. uirgin.

t) POLYC. FRID. SCHACHERI Diſſ. de Lacte uiror. ac uirgin. num illud nutriendo infanti ſufficiat, Lipſ. 1747.

u) Tract. de Form. foet. Cap. I quaeſt. IV.

Albus fuit humor, lacti ſimilis, quo fieri potuit nutritio, ſed imperfecta: et CHRIST. LANGIVM *w*): qui etiam, *nos*, inquit, *contra communem opinionem in maſculis mammis non uerum lac deprehendi credimus.* Quod uero harum etiam perſonarum lac uerum, et ad nutriendum aptum ſit, poteſt probari, partim ſimili ſtructura, de qua ſupra adductus CRELLIVS *x*): ſic *uirorum*, inquit, *mammae nec ſitu, nec forma, nec ſtructura differunt, ſed minus duntaxat tumidae, latae potius atque depreſſae apparent;* partim exemplis, quorum innumera collegit modo nominatus FRANCVS DE FRANCKENAV.

§. XIII.

Admodum uero *Coloſtrum* conuenit cum illo humore quaſi *lacteo,* qui *in mammis recens natorum* deprehenditur, quem doctiſſimus IO. BOHNIVS *y*), aliique, pro praecipuo fonte liquoris Amnii habent. Magis enim humorem ſeroſum lacteum, quam ipſum lac repraeſentat, uti laudatiſſimus auctor ipſe dicit: *Obſeruabunt mecum, qui recens natis infantibus adſtant, horum mammillas lacte ſeroſo turgere, et quidem ita, ut ſi hoc non tempeſtiue atque rite exprimatur, illae indurentur, inflammentur ac ſuppureſcant, pariter ac earum nutricibus a lacte coagulato et caſeſcente contigit.* Et a lacte ipſo probe hunc humorem ſegregat GEORG. PHILIP. NENTERVS *z*).

§. XIV.

w) Diſſ. De Lact. human. Lipſ. 1652.
x) Diſſ. ſup. cit. § XV.
y) Circul. anatom. phyſiol. Progymnaſ II. pag. 31.
z) Theor. homin. ſani. pag. 145.

Digitized by Google

§. XIV.

In brutis quidem, uti in uaccis, ouibus et capris, aliisque, etiam lacti praecedit *Coloſtrum*, de quo infra adhuc dicendum erit. Videtur etiam *Coloſtrum* interdum denotare tale lac ſeroſum, quod nonnunquam oriri ſolet, quando nutrix iterum grauida eſt, unde mulieres dicere ſolent; Das Kind bekommt nichts gutes mehr. Quia magna pars laudabilis ſucci chyloſi ad incrementum noui foetus impenditur. Ita enim iam PLINIUS l. c. iſtud indicat, ſi: *Concipere nutrices*, inquit, *exitioſum eſt: hi ſunt enim infantes, qui coloſtrati appellantur*. Si enim lac in his feminis retrocedit ſucceſſiue, in fine iterum multo ſeroſius deprehenditur, quia uaſa ſe rurſus paullatim conſtringunt. Sed reprehenditur hic PLINIUS aliquo modo a IAC. DALECHAMPIO *a*): *Fallitur Plinius, Coloſtrati dicuntur*, inquit, *qui praepropere ſtatim a puerperio craſſius lac matris, ideoque in uentriculo ſpiſſeſcens ſuxerunt. Lac autem earum, quae concipiunt, ob id noxium eſſe cenſetur, quia foetui et infanti nutriendis, ſanguis, ex quo lac conficitur, non ſufficit; tum etiam quia quae in utero ſuperſunt, excrementa a nutrimento foetus in mammas recurrunt, naturaque prius eſt in alimentum foetus retinente: tum quia grauidae primis menſibus conſuetos cibos faſtidientes alienis utuntur, ex quibus uitioſus ſanguis fit; tum quia ſub hora conceptus magna fit humorum in corpore perturbatio, et agitatio, quae bonos cum prauis miſcet.*

§. XV.

a) In Not. ad edit. Plin. Francof. 1608.

§. XV.

Quia igitur *Coloſtrum* fluidum eſt ſeroſo-ſalſum, parum pingue et nondum lac laudabile; maxima quaeſtio eſt, num talis etiam humor tenello et recenter *excluſo* infanti non magis noceat, quam proſit; et annon praeſtet, ut hoc *Coloſtrum* potius ab obſtetricibus, uel ab aliis feminis exſugi debeat, quae iſtud deinde iterum exſpuere poſſent; uel an non catuli applicari debeant, quale quid fieri ſolet, in lactis nimio prouentu, et alia occaſione?

§. XVI.

Veteres ſi conſulamus, facile dabunt conſilia, ut demum adducta adminicula in ſubſidium uocare debeamus. Illi enim frequenter *Coloſtrum* pro ueneno ſo humore declararunt. Id quod nos docet rei ruſticae antiquiſſimus quidam ſcriptor COLVMELLA *b*), ubi de educatione ouium ita diſſerit: *Agnus autem*, inquit, *cum eſt editus, erigi debet atque uberibus admoueri, tum etiam eius diductum os preſſis humectare papillis, ut condiſcat maternum trahere alimentum: ſed priusquam hoc fiat, exiguum emulgendum eſt, quod paſtores* Coloſtram *uocant: ea enim niſi aliquatenus emittitur, nocet agno.* Idem etiam ſaepius allegatus PLINIVS *c*) teſtatur, dicens: *biduo a partu maternum lac guſtaſſe lethale eſt. Genus*

b) De Re ruſtic. Lib. VII.

c) Hiſtor. mund. Lib. XI Cap. XLI.

Digitized by Google

nus mali uocatur Coloſtratio. Vnde etiam ita cecinit MARTIALIS *e*):

Surripuit paſtor, quae nondum ſtantibus haedis,
De primo matrum lacte Coloſtro *damus.*

Sed forte hoc de *Coloſtro* quorundam ſaltem animalium ualet; in quod inquirere mihi quidem tempus non licuit; uel ob credulitatem, uel etiam, quia uerum, quem intendit natura, uſum, neſciuerunt, quod tantae malignitatis eſſe putauerint.

§. XVII.

Recentiores uero Medici noſtri hoc lac primum ſeroſum non ſine ratione tanquam productum naturae intueri ſolent, in quo ſane prouidentiae magnum latere indicium uidetur. Nam quia fetus in utero geſtationis tempore haud exiguam colligit excrementorum copiam, quae a medicis uulgo *meconium* appellari ſolet; nihil ſane ſalutarius huic recenter nato infanti eſt, quam ut inteſtina eius ab his excrementis purgentur, ideoque euacuentur, ne mora diuturniori, uel conſtipationem, ſeu obſtructionem aluinam, flatulentias, tormina, immo arroſiones inteſtinorum, aliaque incommoda producant.

§. XVIII.

Ad iſtas faeces uero expurgandas admodum aptum iudicarunt *Coloſtrum*. Quia propter particulas ſeroſas copioſiores ſcybala humectat, fluidioraque reddit,

C

e) Epigrammat. Lib. XIII, ep. 38.

reddit, et propter ſalinas partes nondum multa butyracea materia inuolutas, inteſtina ad uegetiorem motum periſtalticum ſtimulat, ipſaque excrementa eo magis reſoluit; et denique quia etiam parum iam de principio lactis mucoſo pingui ſecum ducit, lubricando etiam exitum faecum aluinarum inſigniter promouet. Sic ita naturale euacuans eſt, et medicamenti laxantis uices ſubit. Vti optime inter alios illud agnouerunt antea honorifice nominatus GEORG. ERNEST. STAHL *f*), et Illuſtris ALBERT. DE HALLER *g*). Nam ubi ei de productione lactis ſermo eſt: *primum ſeroſum lac*, inquit, *ſiue Coloſtra*, *aluum teneri foetus laxat*, *meconium expurgat*, *cum ſumma eius utilitate.* Plurium teſtimonia propter temporis penuriam nunc lubens praetereo, et ſaltem lectori beneuolo ea propter commendo ſcriptum Celeberr. Galli Medici VRBAN. LEAVTE: *an recens nato nouum lac maternum? h*)

§. XIX.

Magis tamen conſuetudo dominatrix, quam neceſſitas hodie beneficium hoc naturae neglexit. Vix enim fetus in lucem editus eſt, ſtatim poſt balneum, exitum meconii obſtetrices per pharmacum laxans educere ſtudent. Quem in finem infantulo notiſſimum ſyrupum de manna; uel de Cichoreo cum Rhaharbaro; uel Roſarum ſolutiuum uel alium ad lambendum porrigunt. Inprimis ſi quaedam tormina ſtatim in infante obſeruant. Nec etiam plane culpanda eſt haec conſuetudo. Non ſolum quia et hic ſu-

f) Theor. medic. V. p. 389.
g) Phyſiolog. §. 851.
h) Diſſert. Pariſ. 1741. edit.

Digitized by Google

ſuperflua non nocent, ſi nempe uis laxans *Coloſtri*, augeatur medicamento quodam laxante: ſed quia interdum etiam ipſum *Coloſtrum* non ſemper laudabilis qualitatis eſſe poteſt; in primis, ſi uel puerpera morboſa ſit, uel tempore grauiditatis bonam diaetam neglexerit, ita ut quoque deinde tale *Coloſtrum* tormina et flatulentias in ipſo fetu magis augere ſoleat; quare neceſſe eſt, ut per medicamentum laxans, una cum excrementis, uel recrementis excludatur.

§. XX.

Probe hic reſpiciendum eſt, cum ad ualetudinem et ſanitatem matris, tum ad ipſam conſtitutionem ipſius infantis. Nam ſi nimis ſeroſo-ſalſum et admodum acre eſt *Coloſtrum*; tunc inteſtina uel nimirum ſtimulat, uel leniter arrodit, ſpaſticasque conſtrictiones et inflammationes excitare ualet. Tale praeternaturale quaſi, et male diſpoſitum *Coloſtrum* prouenit, ſi v. g. mammae matris iam ſub grauiditate inflammatione et tumore, apoſtemate, uel plane ulcere infeſtantur; wann die Frauen böſe Brüſte bekommen. Ex altera parte ſi minus ſalſum, magis uero ſeroſo-pingue, aluum uix mouet. Quia igitur primam ob qualitatem tale *Coloſtrum* haud tuto infanti ad ſugendum praeberi poteſt: quoque ob alteram rationem eo magis neceſſe eſt, ut ei occurratur, tali medicamento laxante, modo id negotium magis prudenti medico, quam petulanti obſtetrici committatur. Res enim maioris momenti eſt, ac uulgo putatur, imprudente enim euacuatione, ſtatim fundamentum ad multa deinde incommoda, et ad morboſam diſpoſitionem ipſius infantis adhuc tenelli, poni poteſt.

 §. XXI.

Digitized by Google

§. XXI.

Si uero et mater et fetus notas proſperae ſanitatis edunt, tunc infanti omnino concedi poteſt, ut *Coloſtrum* prius e mammis exſugat. Non ſolum enim propter dictam euacuandi uim: ſed quia *Coloſtrum* ſenſim in lac mutatur genuinum, uentriculus infantum adhuc debilis, facilius ſucceſſiue lac tanquam humorem craſſum, denſum, et ualde pinguem, butyraceo-caſeoſum adſueſcit, quando enim *Coloſtrum* nimis cito in lac mutatur, id quod in euchymis et plethoricis feminis non raro fit, infantes ſaepiſſime propter nimis pinguem humorem ad uomitum proritantur; uel quia nimis ſpiſſum, obſtructionibus et torminibus inde excruciantur.

§. XXII.

Denique etiam apud ueteres *Coloſtri* nomen ad blanditias amatorias exprimendas interdum adhibitum eſt. Sic enim ſeruum amatorem ita canentem in ſcenam introduxit PLAVTVS g):

Mea uoluptas, meae deliciae, mea uita, mea amoenitas.
Meus ocellus, meum labium, mea ſalus, meum ſauium,
Mel meum, meum cor, mea Coloſtra, *meus molliculus Caſeus.*

Et ibidem paulo infra repetitur hic terminus in reſponſione:

Huius Mel, huius cor, huius labellum, huius lingua, huius ſauium,
Huius Columna, huius ſalus amoena, huius feſtiuitas,
Huius Coloſtra, *huius dulciculus caſeus, maſtigia.*

g) Comoed. Poenul. Act. I. Scen. II.

FINIS.

NOBL

NOBILISSIMO ET PEREXIMIO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

D. IO. IAC. KIRSTEN, P. P.

Non ſine magna animi uoluptate in mentem mihi reuoco illum honorem, quo me adhuc uirum iuuenem dignati ſunt duo Machaones illuſtres, magnus nimirum Polyhiſtor Thomaſius, et Auus Tuus paternus, ſenex plane incomparabilis, et aeterna pariter memoria digniſſimus, dum, cum hic Altorfii eſſent, me quoque honorifica praeſentia ſua condecorare haud grauati ſint. Quam laetatus igitur eram, inſtructurus nepotem tanti Viri, cuius uel cineres adhuc colo. Quando uero reſpicio ad Tuum maternum Auum, immortalis nominis Lochnerum, artis medicae ornamentum perpetuum, quem propter famam inſignem ueneror; mea uoluptas, Tuaque felicitas, magnum capit incrementum. Et ſi uenerandus artis noſtrae ſenex Hippocrates a futuro medico inſtitutionem a puero *deſiderat; admodum Tu iterum felix dicendus es, Candidate praeſtantiſſime, qui parentem colis, totius incluti Collegii medici,*

 quod

Digitized by Google

quod Norimbergae floret, Seniorem grauiſſimum, Virum in arte medendi, et uirtutum decore maxime conſpicuum, cuius fideliſſimae ac prudentiſſimae inſtitutioni multum debes, cui etiam uenerabili Seniori, de filio tanto parente digniſſimo, hic publice ex animo gratulor. Nec minus incitamenti loco Tibi eſſe potuerunt egregia exempla Fratrum Tuorum doctiſſimorum, Virorum in facienda medicina ſane praeſtantiſſimorum, quorum ueſtigia ſingulari induſtria, atque diſcendi cupiditate ſecutus es. Quando praeterea indefeſſam Tuam diligentiam, uirtutumque pulcherrimarum cultum, et in primis comitatem Tuam mecum perpendo: non aliter iudicare poſſum, niſi Te aliquando fore Medicum multorum aegrotantium ſolatio, atque ad augendam familiae Tuae florentiſſimae gloriam natum. Gratulor itaque Tibi quoque de laudabiliter abſoluto curſu academico, et de honoribus ſummis in arte medica mox conſequendis. Numen diuinum ſecundet etiam in poſterum coepta Tua, et quemadmodum me huc uſque amore Tuo proſecutus es: ita, ut me eius quoque in futurum participem reddere uelis, eſt, quod maxime in uotis habeo. Vale, iterumque Vale. Dab. d. XVII. Iun. MDCCLVIII.

33 336 (8)

Digitized by Google

SACRI ROMANI IMPERII
PERILLVSTRIS AC LIBERAE
REIPVBLICAE
NORIMBERGENSIS
SENATVI
SPLENDIDISSIMO
PERILLVSTRIBVS AC GENEROSISSIMIS
DOMINIS DOMINIS
DVVMVIRIS
TRIVMVIRIS
SEPTEMVIRIS
CONSVLIBVS
ATQVE RELIQVIS
SENATORIBVS
PATRIAE PATRIBVS
BENIGNISSIMIS
DOMINIS AC MAECENATIBVS SVIS
OMNI PIETATIS CVLTV
DEVENERANDIS

Digitized by Google

FELIX FAVSTVM FORTVNATVMQVE REGIMEN
INCONCVSSAM VALETVDINEM
SALVBERRIMA PRO SALVTE PATRIA
CONSILIA
ILLVSTRIVM FAMILIARVM
SPLENDOREM
AD VLTIMA SECVLA EXCVRRENTEM
AC OMNE FELICITATIS GENVS
DEVOTISSIMA MENTIS PIETATE
ADPRECATVR ET
SPECIMEN HOC INAVGVRALE
EA QVA DECET SVBMISSIONE
D. D. D.
TANTORVM TAMQVE
ILLVSTRIVM NOMINVM

CVLTOR DEVOTISSIMVS
IVSTVS IACOBVS GOECKEL.

Digitized by Google